


PARVVS NICOLAVS

DIE QVINQUE ET VIGINTI MENSIS NOVEMBRIS MMXIV

FRANCISCVS NICOLAVS GOMEZ IGLESIAS, PARVVS NICOLAVS
APPELLATVS, IVVENIS VIGINTI ANNOS NATVS, OMNEM POPVLVM
HISPANICVM IN SVMMAM EXPECTATIONEM ADDVCIT.



HIC IVVENIS, QVI IVS OECONOMIAMQVE IN VNIVERSITATE
PRIVATA MATRITENSI DISCIT, ORDINARIVS VIDETVR, SED RES
SINGVLARIS EST VT AFFIRMET EVM IN CENTRO NATIONALI
INTELLEGENTIAE LABORAVISSE ET MVLTIS HOMINIBVS NOBILIBVS
FAMILIARISSIME VSVM ESSE. QVOQVE EVM IN SEDE FACTIONIS
LARI, IN VIA GENOVA, AFFVISSE DICITVR, CVM MARIANVS RAJOY
PRAESIDENS REI PVBLICAE HISPANICAE CREATVS ESSET. ETIAM SE
A SCRIBA DOMVS REGALIS AD DESIGNATIONEM REGIS PHILIPPI
VI INVITATVM ESSE DICIT. AD HAEC PROBANDA MVLTA
PHOTOGRAPHEMATA SVNT IN QVIBVS CVM POLITICIS NOSTRIS
PARVVS NICOLAVS APPARET.

QVID COGITARE POSSVMVS? ESTNE FALLAX AN CERTA DICIT?
ADHVC ID NESCIMVS. SED OMNIA QVAE NARRAT FABVLOSA
SVNT: EVM CNI OPERAM DARE, EVM NVNTIVM TELEPHONICVM
IPSIVS REGIS IOANNIS CAROLI PRIMI ACCEPISSE, EVM SECVNDAM
PRAESIDENTEM REI PVBLICAE HISPANICAE COGNOSCERE, EVM CVM
CAVSIDICIS FAMILIAE PVJOL COLLOQVIVM HABVISSE, EVM IN VILLA
PRAESIDENTIS COMMVNITATIS MATRITENSIS ESTEPONAE FVISSE, EVM
PRINCIPEM FEMINAM CRISTINAM AVXILIATVM ESSE, ET CETERA
SIMILIA. TAMEN OMNES, QVOS PARVVS NICOLAVS COGNOSCERE
AFFIRMAT, NVNC EVM EIVRANT. ALIA RES EXTRAORDINARIA EST.
PAVCIS ANTE DIEBVS A SEX CVSTODIBVS TACITIS CAPTVS EST ET,
FRAVDE ACCVSATVS, IN CVSTODIA DVOS DIES MANSIT. SED
NIHIL PROBATVM EST.



NVPER IN COLLOQVIO HABITO IN TELEVISIONE QVINTA, VBI
DIVRNARII DE OMNIBVS REBVS EVM INTERROGARVNT, CERTVS,
FIRMVS ET TRANQVILLVS VIDEBATVR. MIHI EXPLICATIO VNA EST:
SIVE ILLE CERTA DICIT SIVE ID QVOD DICIT VERVM CREDIT,
QVIA DEMENS EST. FORTASSE HAEC RES HOC SOLVM
DEMONSTRAT, NATIONEM HISPANICAM IN SVRREALISMO VIVERE.
EXPECTEMVS OMNIA MELIORA FVTVRA ESSE. ETENIM SENSVS
ETYMOLOGICVS NICOLAI (GRAECE NIKA ET LAOS) VICTORIA
POPVLI EST. ESNE PRODIGIVM QVOD DII NOBIS MITTVNT? ESNE
PARVVS NICOLAVS NVNTIVS DIVINV? ESNE POPVLI LIBERATOR?